

EPISTULA LEONINA

CCXLVII

**HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEPTIMAM (247)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-06
ECCE GAIUS LICOPPE NONAGENARIUS LATINITATIS VIVAE NESTOR SAPIENS ANIMATOR ET PROPUGNATOR INDEFESSUS.....	07
ALAENUS DIVUTIUS POETA AD GAIUM LICOPPE.....	08
L.U.P.A. IN DIEM NATALEM GAI LICOPPE.....	09
PRIMAE GLOSSAE ORBIS PICTI HEXAGLOTTI.....	10-19
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....	20-32
CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....	33-38
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	39-44
LIBRI LEONIS LATINI.....	45-48

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.



Cara Lectrix, Care Lector,

age porro, veni mecum, unâ eamus e falsitatis tenebris ad lucem veritatis, eamus per aspera ad astra! Ne credamus pseudo-prophetis de pandemiâ putativâ mendosissimê blaterantibus, sequamur salutare Sidus illud Bethlehemiticum, audiamus laetum nuntium natalicium!

Qui nuntius monet nos caritatis fraternae, minimê hominum dissociationis et discriminationis. Iesus, qui neque cum meretricibus neque cum publicanis neque cum praedonibus colloqui verecundatus est, si nunc versaretur in terris, num vaccinatos tantum beatificaret, non vaccinatos daemonizaret? Num illos invitaret ad domum suam frequentandam, eos condemnaret ad ignem gehennae patiendum?

Interim iam pridem scimus vîrus istud coronae a vaccinatis haud minus transferri ad alios quam a non vaccinatis. Necnon scimus tutamentum substantiis effectum, quae parum accuratê »vaccina« nuncupentur, potius dubium quam certum non valere nisi per nonnullos menses. Nec vaccinationem esse remedium satis aptum ad morbum viarum respiratoriarum temporarium sanandum. Vîri covidiani genoma mutari iterum iterumque. Alia

medicamina esse efficaciora. Paucissimos tantum homines vîro coronario infectos mortiferê periclitari, defectu immunitatis laborantes, senes decrepitos atque praevetustos aliis iam pridem morbis debilitatos, minimê parvulos et iuvenes. Effectûs istarum substantiarum genotechnicarum secundarios et tertiarios esse multo graviores et frequentiores quam verorum vaccinatorum per longum tempus probatorum. At si vaccinati credunt se verê protegi vaccino venae suae iniecto, quidnam timent, ne sibi accidat neve sibi noceat praesentiâ hominum non vaccinatorum?

Tamen is qui quadam cautione atque prudentiâ inductus a sumendo medicamine experimentalis parum probato abstinet, graviter laeditur verbis, immo eidem timendum est, ne sibi vis afferatur. Ab ipsis politicis tales cives pacifici nihil nisi iura sua fundamentalia postulantibus appellantur »covidiotae« et »vultures pandemiae cadaverales«, immo tantopere diffamantur, ut in numerum referantur fascistarum et tromocratarum. Talibus hominibus nulla iam conceditur libertas sententiam suam manifestandi; haud raro iam factum est, ut in manifestationibus coronariis senes et aniculae inermes atque quieti nulloque modo provocantes vel offendentes ab astyphylacibus tam asperê et violenter correpti in viam deicerentur, quasi essent furciferi periculosissimi. Tamen Francus Udalricus Montgomery praeses medicorum medicaster omnium mendacissimus, sibi non temperavit, quin loqueretur de »tyrannide non vaccinatorum«. At hîc quis quem subigit? Quis cui minatur? Quis cui vim affert? Nonne hîc victima accusatur mactationis et lanius dicitur esse victima? Mundus invertitur et veritas detorquetur a talibus hypocritis more ministerii veritatis Orwelliani: bellum dicitur esse pax et odium amor.

In nonnullis iam terris cives coguntur a gubernatione, ut vaccinentur; periculum est, ne etiam Austriaci et Germani sub praetextu pandemiae putativae ceteris iuribus libertatis in

spatium temporis incertum iam amissis nunc etiam priventur gravissimo iure integritatis corporalis servandae. A gubernationis politicis iterum iterumque negatum erat obligationem (vel potius coactionem) vaccinationis in Germaniâ umquam fieri posse – nunc iidem politici contrarium affirmant flagrantissimê.

Ut est in proverbio Latino: »Mille annis iam peractis nulla fides est in pactis. Mel in ore, verba lactis, fel in corde, fraus in factis«. Nonne praeceptum est in Decalogo: »Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium«?

Nonne dicit Iesus apud Matthaeum (25,40): »Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis«? Brevi ante Berolinensis senatus russato-russato-prasinus exemplum praebuit stupendae inhumanitatis atque immisericordiae eo, quod mediâ in hieme homines habitaculorum expertes neque contra coronae vîrus vaccinos neque probâ coronariâ probatos e ferriviae crepidinibus fugavit, quo aufugerant frigore et umore vexati.

Certê multi politici iam pridem aversati sunt a fide christianâ, sed – proh dolor – sunt etiam sacerdotes christiani, qui istis in tenebris pandemicis loco caritatis christianae praedicent concivium et confidelium odium et dissociationem. Quid dicamus, si parochus ecclesiae cathedralis Vindobonensis contemptu et indignatione plenus publicê confitetur se nullo modo misereri hominum non vaccinatorum? Iesus adiit leprosos eosdemque consolatus liberavit. At hodierna ecclesia, quae contendat se Christum succedere, proprios fratres sororesque non vaccinos, sed sanissimos disiungit a mensâ Domini. Quidam sacerdos immisericors rector communitatis Coloniensis universitariae viro habitaculi experti imperavit, ut cubile suum relinqueret, quod ex sex annis habuerat in stabulo autocinetico. Expressis verbis ei praescrispsit, ut, si tardissimê, cubile suum relinqueret Natali Domini. Nunc vir miserrimus desperatus ipse

mortem sibi conscivit. Equidem pro certo habeo istos clericulos evangelium non intellexisse!

Regno tenebrarum pandemico relicto revertamur ad lucidos campos studiorum humaniorum Elyseos, ad bonas litteras et ad Latinitatem vivam, quibus Leo Latinus tecum helluari cupit.


Denuo Leo tibi praeparavit nonnulla legenda, quibus sperat te doctum et delectatum iri. Ergo – ut ait Apuleius Madaurensis in Asini Aurei prooemio - »Lector (Lectrixve) intende: laetaberis«. Pancraticê vale et perge mihi favere.

In Natale Domini Tibi – ni interim, quod bene spero – alteram Epistulam a me acceperis – exopto optima quaeque. Pax tecum. Perfer et obdura. Per aspera ad astra!

Medullitus te salutat

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Veneris

17. m.Dec. a.2021

**ECCE GAIUS LICOPPE NONAGENARIUS
LATINITATIS VIVAE NESTOR SAPIENS
ANIMATOR ET PROPUGNATOR
INDEFESSUS**



**EIDEM SODALI MAXIME HONORABILI
LABORUM ORBIS PICTI EXARANDI COMITI ET
SUASORI PERQUAM PERITO AFFABILIQUE
SUMMAS GRATIAS AGIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**

AD GAJUM LICOPPE,

LATINITATIS VIVAE DEFENSOREM ET PROPAGATOREM.

Carmen quod pepigit *Alaenus Divutius*

*Ars longa est, dicunt medici, sed vita brevis lux,
 sic via longa quoque est usque ad Latium redivivum :
 tu medicus bene scis teque ars perlonga iuvabit,
 iampridem linguam qui sanes semisepultam,
 nec via longa tibi gravis, indefesse viator,
 qui multos homines, multas urbesque latino
 ore loquens nosti, prae te vexilla latina
 gestans pacifice per terras undique sparsas.
 Tuque gregis nostri, patrone et optime ductor,
 perge diu nobis constanti mente favere
 atque animo forti Latii defendere linguam,
 ne misere pereat quondam regina triumphans.
 Perge etiam calamo docto varioque docere
 lectores, carpens passim nova mella Melissa.
 Sic eris usque quod es, fortis, bonus atque fidelis,
 fundator solidus, constructor et aedificator,
 omnibus attentus, semper quoque firmus amicus,
 ni nimis est, etiam cum te pituita molestat !*

https://la.wikipedia.org/wiki/Gaius_Licoppe

In diem natalem Cai Licoppe scripsit L.U.P.A.

Hodie, a.d. V Kal. Iul. anni a.U.c. MMDCCLXXIV (sive 27.6.2021), Caius Licoppe doctor clarus, Domus Latinae Bruxellensis conditor idemque Melissae periodici Latini editor, qui diu sodalis L.V.P.A.e fuit, diem natalem nonagesimum agit. Alfonsus Weische egoque Caecilia ei nomine L.V.P.A.e his verbis gratulati sumus:

Hodie, o Cai doctissime doctor, tibi natalem nonagesimum celebranti inter multos etiam L.V.P.A.e regimen nomine totius associationis ex animo gratulatur. Gaudemus quod tecum atque cum tua Melissa uniti sumus in Latinitate viva colenda. Quod eam multitudine, varietate, pulchritudine operum tuorum claram et iucundam facis, in memoria L.V.P.A.e sodalium et amicorum semper erit. Eo addentur, quaecumque Latine scripturus es, praecipue ornans Melissam. Optamus ergo toto animo, ut per multos annos tibi tuisque contingat summa felicitas nixa valetudine optima.

PRIMAE GLOSSAE GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

A



abiēs,-etis f.

120,121

Tanne – fir – sapin – abeto - abete

ENN.Ann.189 abies consternitur alta. VERG.georg.2,68 casus abies visura marinos.. VITR.5,1,3 ut in arboribus teretibus, abiete, cupresso, pinu. LIV.24,3,4 lucus...proceris abietus arboribus saeptus. OV.met.10,94 enodis abies . IUUV.3,255. - Iacobus André, *Les noms de plantes dans la Rome antique*, Paris 1985, p.1 abietem Varronis et Plinii habet pro eâ specie botanicâ, quae hodie *Abies pectinata* appellatur (synonyma botanica sunt *Abies alba*, *Abies nobilis*, *Pinus picea*).

Abies est arbor saetis (sive acubus) acutis et semperviridibus instructa, quae a botanicis refertur in numerum Coniferarum. A Christianis solet haberi pro arbore nataliciâ.

A pulcherrimae arboris nomine incipit glossarium nostrum. Unum ex Germaniae canticis nataliciis illustrissimis iam pridem in Latinum conversis spectat ad hanc arborem; quod inscribitur »*Oh Tannenbaum*«, eiusque textum originale et versionem Latinam en habes tabellae sequenti inscriptas:

1. O Tannenbaum, o Tannenbaum, wie treu sind deine Blätter! Du grünst nicht nur zur Sommerzeit, nein auch im Winter wenn es schneit, o Tannenbaum, o Tannenbaum, Wie treu sind deine Blätter!	2. O Tannenbaum, o Tannenbaum, du kannst mir sehr gefallen! Wie oft hat nicht zur Weihnachtszeit ein Baum von dir mich hoch erfreut! o Tannenbaum, o Tannenbaum, du kannst mir sehr gefallen!	3. O Tannenbaum, o Tannenbaum, dein Kleid will mich was lehren! Die Hoffnung und Beständigkeit gibt Mut und Kraft zu jeder Zeit! O Tannenbaum, o Tannenbaum, Dein Kleid will mich was lehren.
1. O abies, o abies, quam es fideli fronde! Aestivo vires tempore ac tum, cum ningit hieme, o abies, o abies, quam es fideli fronde!	2. O abies, o abies, quantopere me iuvas! Quam saepe iam placebas mi natali die Domini! O abies, o abies, quam es fideli fronde!	3. O abies, o abies, me vestis vult docere, ut spes det ac constantia et vires et solacia! O abies, o abies, quam es fideli fronde!

abdōmen.-inis n.

139,140,141,142,145,158,194

abdomen – abdomen – abdomen – abdomen – addome

FORCELLINI: «Est extima pars imi ventris, natura mollis et pinguedine obducta, quae a coxis et pube usque ad diaphragma pervenit (It. *addomine, grasso del basso ventre*; Fr. *la partie inférieure et grasse du ventre, abdomen*; Hisp. *abdōmen*; Germ. *Wanst, Schmeerbauch*; Angl. *the abdomen, the fat of the lower part of the belly*). ¶ 1. Proprie usurpatur cum de hominibus, tum de ceteris animalibus. *Cels.* 4. 1. Ipsa autem illa inter coxas et pubem imo ventre posita sunt, a quibus ac pube abdomen sursum versus ad praecordia pervenit, ab exteriori parte evidenti cute, ab interiori levi membrana inclusum, quae omento jungitur; περιτόναιος a Graecis appellatur. a Graecis appellatur... »

***Abelmoschus ēsculentus**

248

okra – gombo - gombo, quingombó - gombo

Abelmoschus est genus plantarum, quod spectat ad familiam *Malvacearum*. Nomen ducitur a seminum odore moscho simili. *Abelmoschus esculentus* est species huius generis, planta quae exorta est in regione montosâ Abessiniae. Frutex est altitudinis duorum dimidiique metrorum, interdum etiam maioris. Fructûs Abelmoschi esculenti sunt capsulati, formâ cucumerum, costis longis, angulis minimê quinque, maximê decem, leviter incurvi, cuspidati. In numerum referuntur holeraceorum, longitudinem assequuntur 25 centimetrorum, crassitudinem 2 vel maximê 5 centimetrorum. Eorum putamina primo colore sunt lucidê vel obscurê viridi, sed interdum etiam rubeolo, sunt tenerâ lanugine oblecta, si maturuerunt, sunt arida et colore fusculo. *Abelmoschus esculentus* est una e plantis holeraceis ab homine cultis vetustissimis. Quae iam saltim tribus milibus annorum ante ab Aegyptiis culta est ad ripas Nili fluminis, sed seritur iam ex quattuor milibus annorum. Hodie haec planta ferê ubique terrarum colitur ad fructûs comedendos. In Civitates Unitas abelmoschi esculenti allati sunt a mangonibus. Nomen horum fructuum, quod est *Okra*, exortum est in Africâ occidentali, videtur esse ex linguâ *Igbo* aut *Akan* sumptum. Plurimum colitur haec planta in Indiâ, Nigeriâ, Sudaniâ. Putamina paucas tantum calorias continentia sapiunt similiter ac fabae virides et ita comeduntur ut cibi holeracei.

abolla, -ae f.

428

Umhang – cape – cape – capa - cappa

<https://educalingo.com/de/dic-en/abolla>: Ad hoc vestimentum modernum denominandum adhibuimus verbum antiquum: *Abolla* fuit vestimentum, quod corpori circumiectum gerebatur a Graecis atque Romanis aetate provectoribus. *Nonius Marcellus* affert verba *Varronis*, e quibus apparet abollam aliter ac togam gestam esse a militibus. At non solum gerebatur in rebus militaribus gerendis, sed etiam in urbibus, praesertim a philosophis Stoicis Romae degentibus. Fuit quodammodo pallium philosophicum. Itaque *Iuvenalis* dicens facinus quoddam esse *maioris abollae* sentit hoc scelus factum esse a philosopho minimae qualitatis. Nomen abollae derivatum est e Graeco sermone: graecum verbum q.e. vel ἀναβολή valet amiculum laneum laxum.

Abrahamus, -ī m.

870

Abraham – Abraham – Abraham – Abraham – Abramo

Abrahamus (hebraicê אַבְרָהָם / אַבְרָם *Avraham/Aviram* secundum etymologiam popularem: *pater multarum [gentium]*. [Genesis 17,4sq.] quod nomen ducitur a אַבְרָם *Avram pater est augustus*, aramaicê אַבְרָהָם *Abrohom*, palaeojiddicê *Awroham*, arabicê إبراهيم *Ibrāhīm*) est auctor gentis Israeliae et persona ipsius *Tanach* praecipua aut Veteris Testamenti. Abrahamus etiam habetur pro auctore gentis Arabum; ab eius filio Ismaele dicitur ortus esse Mahumetus propheta. Abrahami historia narratur in bibliae libro *Genesis* vel *Bereschit* (Gen 12–25 EU). Secundum hos libros Abrahamus unâ cum filio Isaac et nepos Iacobus refertur in numerum patrum originalium, e quibus exortae sunt duodecim stirpes gentis *Israel*. Cum Iudaei et Christiani et Muslimi credant Abrahamum esse auctorem gentis suae, eorum religiones appellantur abrahamiticae.

+abrassāta, -ae f.

884

Oberarmschiene – rerebrace – brassard – brafonera - cannone di braccio**i.q. regula ferrea, quâ equites mediaevales braccia superiora obtegebant.**

cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHE, Oscar: *Illustriertes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, Erste Abtheilung A-H, Leipzig & Berlin 1877, 2.Abtheilung ibid.1878; 2.Abth., p.754sqq.,s.v.Plattenrüstung, p.755: "Armschienen,... latein. abrossata, braceria..*

absorptiō, -ōnis f.**Absorption – absorption – absorpction – absorpción - assorbimento**

HIER.brev.in psalm.140.

Nomen absorptionis ducitur a verbo absorbendi: absorbeo, -êre, absorbui/absorpsi, absorptum. In disciplinâ physicâ absorptio est receptio undarum aut particularum, quae fit substantiâ absorbenti, e.g. absorptio soni, quae coniungitur cum energiae soni deminutione. – In chemiâ absorptio est receptio atomi aut iontis aut moleculae aut earum solutionis, quae fit aliquâ phasi. In tomo nostro picturato commemorantur p.96 *absorptio per nubes et absorptio per terrae superficiem*, p.102 *absorptio aquae et salium mineralium, absorptio carbonei dioxydati*.

acanthias, -ae m.

148

Dornhai - spiny dogfish - aiguillat commun – mielga – spinarolocfr nomen ichthyologicum, q.e. *Squalus acanthias*. – cfr Liddell-Scott, p.47: “ἀκανθίας, ου, ό, prickly thing, and so 1. kind of shark, prob. *Squalus acanthias*...”

Squalus acanthias est species canum marinorum (nomen scientificum: *Selachii*, nomina trivialia: *Haie, sharks, requins, tiburones, pesceceane*) omnium frequentissima, quae spectat ad familiam *Squalidarum*. Talis piscis cartilagineus est corpore gracili, longitudinali, rostro acuto. Color dorsi et laterum variatur ab obscurê-griseo usque ad fuscum maculasque albas, venter est lucidus. Ante utramque pinnam dorsalem est spina acuta – haec est causa nominis (*acanthias*, ab *acantho*, i.e. spinâ), quae per sulcum coniuncta est cum glandulâ venenosâ. Acanthiae longitudinem assequuntur unius ferê metri, pondus decem chiliogrammorum, raro maioris. Qui pisces vivunt in altitudine marinâ 50, maximê 200 metrorum et prioribus temporibus ferê ubique marium versabantur ingentibus agminibus consociati. Acanthiae aetatem assequuntur plus 20 annorum. Iidem post 10 demum annos pubescunt. Acanthiae feminae hac aetate sunt 75, maximê 90 centimetra longae, mares sexaginta, maximê 80. Post fecundationem internam copulatione factam in acanthiâ feminâ oriuntur capsulae, quibus insunt maximum sena ova. Embryones iam in corpore materno e capsulis ovorum excluduntur et crescunt in utero usque ad longitudinem 20 vel maximê 30 centimetrorum. Itaque acanthiae dicuntur esse *ovoviviparae*. Post 18, si tardissimê, post 22 menses nascuntur bini, vel maximê undecim pisciculi.

***acanthodius, -ī m.**

129

Acanthodier - acanthodian – acanthodien – acantodio - acantodi

Acanthodii sunt classis piscium emortuorum, qui fuerunt formae multiplicis. Ratione systematicâ acanthodii spectant ad superclassem *Gnathostomatum* et sunt grex fraternus *Osteichthym* (piscium osseorum), quibuscum unâ complectuntur taxon *Teleostomorum*. Acanthodii sunt prima Gnathostomata, quorum partes fossiles nobis sunt relictæ, et vixerunt ab aetate silurianâ usque ad permianam. Maximê floruerunt aetate devonianâ. Iam aetate silurianâ inferiore inventae sunt singulae eorum spinae et squamae fossiles (qui appellantur *ichthyodorulithi*), sed integri acanthodii certi huius aetatis nondum sunt inventi. Nomen horum piscium fossilium theodiscum, quod est «*Stachelhaie*» (i.e. *acanthiae* sive *canes marini spinosi*) refert ad aspectum multorum acanthodiorum canibus marinis similem necnon ad pinnas eorum piscium in margine anteriore spinâ instructas. Sed acanthodii nullo nexu phylogenetico artiore cum selachiis (canibus marinis), speciatim cum acanthiis coniuncti sunt.

***accelerātrum *ēlectroniōrum**

926

Elektronenbeschleuniger - electron accelerator - accélérateur d'électrons - acelerador de electrones - acceleratore di elettroni

Acceleratrum electroniorum est instrumentum technicum, quo electronia libera rapidê accelerantur. Talia instrumenta adhibentur in industriâ quaestuosâ necnon in medicinâ ad varios usûs, e.g. ad morbum cancrum radiis curandum, aut directê radiatione electroniorum aut indirectê eo quod scopus x-radiationis inicitur electroniis.

accēnsiō, -ōnis f.

680

Zündung – ignition – explosion – explosión – esplosione

Est tertium quattuor temporum, quae habet motrum autocineti quadritemporale: assuctio – compressio – accensio – expulsio.

accentus, -ūs m.

587

Akzent – accent – accent – acento – accento

P.587 tomi picturati monstrantur tria signa diacritica Francogallorum, quae appellantur accentus gravis (*accent grave*) et acutus (*accent aigu*) et circumflexus (*accent circonflexe*). Habent quidem hi accentûs francogallici nomina et formam antiquorum accentuum graecorum, sed non iam habent eandem vim. Nam iisdem non indicatur, quae syllaba verbi acuatur, sed possunt in uno tantum verbo francogallico duo accentûs indicari, quorum unus tantum potest acui. Hoc apparet ex exemplis verborum francogallicorum quae sequuntur (accentus verbi indicatur typo crasso): *créé, été, Cléopâtre, créèrent*; verbi temporalis, q.e. *tâcher*, acuitur syllaba ultima, quamvis accentus circumflexus impositus sit primae syllabae.

Aegidius Forcellinius notionem accentûs antiquam his verbis explicat quae sequuntur:

Forcellini, p.35: „Accentus vel adcentus,us,m. (*accino, cf. Prosodia*). *Proprie est cantus vel sonus ad aliquos aut aliquid2. Grammaticis accentus, ut ait Diomedes 2.p.425 Putsch., est acutae vel gravis vel inflexae orationis elatio vocisve intentio vel inclinatio, acuto aut inflexo sono regens verba. Nam ut nulla vox sine vocali, ita sine accentu nulla est. Et est accentus, ut quidam recte putaverunt, velut anima vocis..*”

***accersibulum, -ī n.**

621

Pager – pager – téléavertisseur numérique – buscapersonas - cercapersona

Accersibulum est parvum instrumentum radiotelephonicum portabile, quo nuntii transmittuntur aut homines necessitate urgente arcessuntur. Theodisco sermone remissiore appellantur talia instrumenta propter eorum signalia etiam *pipiatores*. Nomen eorum anglicum et theodiscum originaliter spectavit ad ministros deversoriorum (cfr fr. *les pages*). Bene recordor patrem meum ingeniarium machinalem olim (circiter saeculo dimidio ante) in officinae siderurgicae praepositus reparatrinae, extra tempus operandi eius solitum si quod damnum in officinâ maius acciderat (e.g. fractura fornacis altae, in quâ mineralia ferrea liquefiebant), talis instrumenti sono pipianti arcessitum esse.

accessus, -ūs m.

660

Auffahrt - approach ramp - rampe d'accès - rampa de acceso - rampa

Forcellini 37: »ACCESSUS vel adcessus,us,m. 4. (*accedo*) est appropinquatio, cui opponitur discessus et recessus; et aliquid plus significat quam accessio, quae est una tantummodo accedendi actio....II. Translate....2. Interdum accessus sumitur pro loco, per quem aliquo acceditur. SÜETON.Caes.58. Explorare accessum ad insulam. Virg.8Aen.229. Omnem accessum lustrare. Adde Flor.1,17,4 et 2,12,15. Auct.B.Afr.5 difficilis ad oppugnandum. Hirtius B.Alex.262. maritimus, pedester. ...Liv.29,27. Dare vela, et alium infra navibus accessum petere jubet....«

accessus ad libellam operatiōnum secundam

649

Zugang zur zweiten Funktionsebene - access to the second level of operations - accès au second niveau d'opérations - acceso al segundo nivel de operaciones - accesso al secondo livello di operazioni
i.q. functio quaedam calculatri scientifici.

accessus ad orbitam

704

Zugang zum Gleis - platform entrance - accès aux quais - acceso a los andenes - ingresso al marciapiede
i.q. locus, unde accedi potest orbita ferroviaria.

accessus fontium ūniversālis

642

URL-Adresse (Vereinheitlichter Ressourcenzugriff) – URL (uniform resource locator) - adresse URL (localisateur universel de ressources) – URL (localizador universal de recursos) – URL (localizzatore universale di risorse)

Accessus fontium universalis est inscriptio interretialis definita, quā indicatur, quo loco *servîtri* (**servîtrum* i.q. *angl. server*) positum sit aliquod archîum (*angl. file*) idemque advocatur. Tales accessûs navigatro telae (*webbrowser*) induntur, ut accedantur documenta telae indita aut forma hyperligaminum (**hyperligamen* i.q. *hyperlinks*) documento imponuntur. Sermone communi accessûs fontium universales appellantur *inscriptiones interretiales (web addresses)*.

accessus illūminātiōnis

605

Zugang zur Beleuchtungsanlage - lighting grid access – accès à la grille d'éclairage – puerta de acceso a la rejilla de la luces – accesso alla griglia di illuminazione

i.q. ianua officinae radiotelevisificae, per quam accedi possunt instrumenta lucifica.

accessus mancōrum

856

Zugang für Behinderte – access for physically handicapped – accès pour handicapés physiques – acceso para minusválidos – accesso per i portatori di handicap

i.q. aditus, per quem locus accedi potest sellâ subrotatâ.

accessus stabulī autocīnētici

328

Auffahrt – drive – entrée de garage – acceso – vialetto di accesso

i.q. semita, per quam autocinetum in stabulum vehitur

accessus vāsculāris

927

Gefäßzugang – vascular access – accès vasculaire – acceso vascular – accesso vascolare

i.q. locus, quo uter cum machinâ dialyticâ coniunctus accedit ad vasculum hominis patientis sanguinarium.

acclivitās exterior

505

Kontreescarpe, äußere Grabenfurtermauer – counterscarp – contrescarpe – contraescarpa – controscarpa

acclivitās exterior [LAVATER, Hans Conrad: Kriegsbüchlein, Zürich 1667]; dēclivitās fossae exterior [HOFMANN, Andreas: Disputatio mathematica architecturae militaris naturam & potiorum ejusdem terminorum nomenclaturam sistens, Lipsiae 1698, s.v. contrescarpe]

Acclivitas exterior est notio architecturae militaris. Quae est aut agger aut murus exterior, quo sustinetur humus in eo latere fossae, quod aedificio militari est adversum. Agger aut murus interior est acclivitas interior.

acclivitās interior

505

Eskarpemauer - innere Grabenfurtermauer - scarp – escarpe – escarpa - scarpa

[LAVATER, Hans Conrad: Kriegsbüchlein, Zürich 1667]

Acclivitas interior est notio architecturae militaris. Quae est aut agger aut murus interior, quo sustinetur humus in eo latere fossae, quod aedificio militari est adversum. Agger aut murus interior est acclivitas interior.

acclivitās montis

71

Berghang – mountain slope – versant – ladera – versante

+accordum, -ī n.

563

Akkord – chord – accord – acorde - accordo

Accordum in musicâ fit, si minimum tres toni varii simul sonant, qui haberi possunt pro harmonicis.

Etymon. - Notio **accordi** derivatur a verbo francogallico, q.e. *accord* (quod significat *consensum, sensuum aequalitatem*, deinde etiam [*musicum*] *concentum*), quod ipsum derivatum est a verbo Latinitatis vulgaris, q.e. *accordare* et valet *adaequare, accommodare* (a Latino verbo, q.e. *cor*). Praeterea iam ex aetate Latinitatis senioris ad hoc verbum valuit Graecum verbum, q.e. **χορδή**, i.e. **fides, chorda** et fortasse auxit usum verbi musicum. Originaliter haec notio valuit *aequisonantiam*, i.e. eiusdem toni effectiōnem in variis chordis sive fidibus. Hōc sensu iam a.1619 adhibita est a *Michaele Praetorio*. A.1732 demum haec notio habet sensum *concentūs variorum tonorum*, qui potest etiam referri ad *concentum* seriei tonorum superiorum unius toni singuli.

accordum scissum

563

Arpeggio – arpeggio – arpège – arpeggio - arpeggio

est accordum, in quo singuli toni non simul, sed unus post alterum (brevibus interspatiis) efficiuntur. Verbum italicum, q.e. *arpeggio*, ducitur ab *arpa*, i.e. harpa (nomen instrumenti musici) et valet accordum esse efficiendum quasi in harpâ, i.e. unum tonum post alterum.

***accumulātrum**, -ī n.

389, 394,613,679,684

Akku - battery pack – bloc-piles – bateria – batteria

[cfr Eichenseer, Vox Latina 1976, p.224: accumulatorium]

Accumulatrum est elementum galvanicum reonerabile, quod constat ex duabus electrodis et uno electrolyto et energiam electricam condit ratione electrochemicâ. Unum elementum conditorium reonerabile appellatur *elementum secundarium* sive *cella secundaria* et contrarium est cellae *primariae*, quae non aut parum est reonerabile. Actio onerandi posita est ex conversione electrolyticâ reactionum chemicarum, quae fiunt in deeneratione, si tensio electrica apponitur.

acer, aceris n.

119

Ahorn - maple – érable – arce – acero

Est arbor frondifera. Acera spectant ad genus plantarum et subfamiliam *Hippocastanoidearum*, familiam *Sapindacearum*. Sunt acerum minimê 110, maximê 200 species. Quae in regionibus temperatis et tropicis Eurasiae, Africae borealis, Americae centralis borealisque passim inveniuntur. Multae species acerum ab homine adhibentur ad varios usûs. - **Conspectus.** - Exceptis duabus speciebus acera sunt arbores aut frutices aestate tantum virides. Folia in ramis adversê posita constant e petiolo et laminâ. Lamina plerumque simplex et in formam manûs lobata est. Nonnullae species aceris habent laminas imparipinnatas tribus vel quinque foliolis instructas, e.g. *Acer negundo*. Nervatura est formae manûs. Margo folii est laevis aut denticulatus. Nulla sunt folia secundaria. Frondes multarum specierum saturo colore sunt autumnali. - **Inflorescentiae floresque.** - Inflorescentiae aceris sunt corymbatae aut umbellatae, rarius racemosae aut magnae et paniculatae. Flores raro sunt androgyni, plerumque unisexuales, radiosymmetrici, quinati, duplici perianthio instructi. Sepala plerumque sunt quinque, raro quattuor vel sex. Petala sunt plerumque quinque, raro quattuor vel sex, raro desunt. Stamina libera sunt plerumque octo, raro quattuor, quinque decem vel duodecim. Duo carpella in ovarium superum coaluerunt. In omni carpello raro unum, plerumque duo sunt ovula. Stylus plerumque est bifurcatus, duo sunt stigmata. Distinguuntur species entomophilae ab anemophilis. In entomophilis in fundo florum est discus, qui utilis est ad insecta allicienda. - Formula floris est haec quae sequitur: * K 5 C 5 A 4 – 12 G (2) _ { }; K_{5}; C_{5}; A_{4-2}; G_{(2)} }. - **Fructus et semina.** - Oriuntur coenobia, quae decidentia sunt binae *samarae*, i.e. nuculae alatae. Fructus formâ suâ specialiter aerodynamicâ (monopterus) si decidit, fit *autorotatio*, quâ efficitur, ut semina lentius delabantur et diasporae vento dispergantur per aream maiorem. Semen maturum expers est endospermatis. Embryo, qui continet oleum et amyllum, instructus est radiculâ prolongatâ duabusque cotyledonibus planis aut complicatis, viridibus. - **Numerus chromosomatum** basicus est $x = 13$; plerumque acer est diploideum, i.e. $2n = 26$. **Syrupus acerneus** est succus *Aceris sacchari* incrassatus. Qui saporis est caramello similis et imprimis utilis est ad crustula dulcia furno coquenda et ad glaciem edibilem conficiendam. Syrupus acerneus praecipuê in Canadâ et Civitatibus Unitis adhibetur ad cibos dulcorandos.

acētāria, -ōrum n.pl.

292

salate – salads – salades – ensaladas - insalate

Acetaria sunt cibi frigidi et bene conditi aut fructuoso-dulces. Acetaria constant ex holeribus dissectis et/aut pomis aliisque additamentis; cum liquamine parantur et ferê semper frigidê apponuntur (paucis exceptis). - Varia genera distinguuntur compositione aut modo conficiendi, e.g. acetaria ex holeribus crudis aut coctis confecta. - Ad acetaria conficienda adhibentur liquamina specialia. Loco liquaminum magonicorum more traditorum magis magisque adhibentur liquamina energiae deminutae (liquamen iogurthi, aceti et olei et herbarum, liquamina lycopersicorum). In ordine cenae acetaria minus habentur pro ferculo proprio, sed potius pro additamento aut promulside aut cibo intermedio.

acētum, -ī n.

287

Weißweinessig – white vinegar – vinaigre blanc – vinagre blanco – aceto bianco

Acetum est liquor saporis acidi ad cibos condiendos et conservandos aptus, qui fabricatur eo, quod liquores alcoholici bacteriis *acidi acetici* fermentantur. Acetum est solutio acidi acetici aquatica. - Fabricatio aceti est una ex hominum victualia fabricandi methodis vetustissimis. In Germaniâ **acetum cibarium** secundum *legem acetum et essentiam aceti adhibendi a.1972 latam* non licet acetum cibarium vendere nisi continet acidi acetici minimê 5% (quinque partes pro centum), maximê 15,5% (quindecim – virgula - quinque partes pro centum); essentiam aceti, nisi minimê 5%, maximê

6%. Etiam acidum aceticum aquâ dilutum saepe appellatur acetum, sed oportet declaretur tale quale est. Acetum alcohol non continet nisi copias eiusdem exiguas (0,2–1,5% vol., i.e. zero – virgula – duas partes pro centum voluminis). Acetum aceticum glaciale est acidum maximae concentrationis (99-100%, i.e. undecentum vel centum partium pro centum), quod paulum tantummodo aut nihil aquae continet. – Multae gentes antiquitatis cultiores (Aegyptii, Babylonii, Persae, Graeci, Romani) iam fabricaverunt acetum. Acetum, quod fabricatum erat ex fructuum sucis, qui acuerant et vino et cervesiâ, si cum aquâ commixtum erat, potulentum refrigerans magni aestimabatur. In documentis mesopotamicis traditur fabricata esse *cervesia acida*. Talis potio, quae ab Aegyptiis appellabatur *hequa*, bracibus sive malto confecta aceto admixto acescebat. Romani legionarii lagoenis suis campestribus implebant potionem ex aceto et aquâ commixtam, quam nuncupabant *poscam*. Iam *Hippocrates* medicus tradit acetum adhibendum esse ad morbos viarum respiratoriarum et digestionis sanandos. – *Columella*, auctor agriculturae describendae primi saeculi p.Ch.r.n. maximi momenti, in opere suo, c.t. *De re rusticâ*, fusè refert, quibus modis acetum conficiatur, idque vino et ficis et hordeo. --- *Acetum quattuor praedonum* sive *acetum pestilentiarium* quale nominabatur habebatur pro tutamento, quo arcerentur morbi contagiosi; adhuc adhibetur ad conclavia aegrotorum fumiganda. - Medio aevo imprimis acetum herbarium magni aestimabatur remedium morborum. *Hildegardis Bingensis* et *Nostradamus* et *Florentius Venningensis* in scriptis suis referunt de usu et effectibus herbarum medicinalium, quae *aceto sano* extrahebantur. In medicinâ mediæ aevi et novi prioris etiam *oxisaccharum* in usu erat, quod commiscebatur ex aceto et saccharo. Illo tempore corpus humanum a medicis solebat aceto ungui variis modis, ut purgaretur. Adhuc saeculo duodevicesimo medici conati sunt pestem impugnare *aceto pestilentiaro*. Vasa et instrumenta medicinalia purgabantur aceto. Ex saeculo sexto decimo prima vectigalia pro aceto aliisque mercibus ex aceto fabricatis exacta sunt. Illo tempore Francogalli perlibenter holera aceto condiebant et liquamina acetariorum conficiebant aceto. - In arte cosmeticâ acetum adhibebatur ad corpus purgandum et disinferendum necnon ad morbos cutis pertinaces curandos. In claritudinem pervenit *acetum florum violae* Imperatricis Austriacae (ex a.1854, quae a fratribus sororibusque appellabatur *Sissi*). Hodie acetum praecipuè adhibetur ad cibos condiendos conservandosque.

acētum album

287

Weißweinessig – *white vinegar* – *vinaigre blanc* – *vinagre blanco* – *aceto bianco*

Ut vinum album, ita album acetum est coloris lucidi, mitis saporis. Quod acetum aptum est ad liquamina lucida et holera, sed etiam ad cibos dulci-acidos condiendos. Acetum album fabricatur ex vino albo. Itaque modus eiusdem fabricandi praescribitur lège vini albi. Acetum album oportet habeat portionem acidi minimam 6% (sex partium pro centum). Omni casu respiciendum est, ut acetum album adhuc contineat alcohol reliquum circiter 1,5% (unius – virgula – quinque partium pro centum). - Qualitas aceti pendet a genere vini, quod adhibetur ad idem fabricandum. Aceta simplicia fabricantur e vino mensali. Aceta alba certi generis vini puri multo cariora sunt, sed saporis sunt genuini et periuicundi. Pro genere uvarum aceta excellentissima sunt saporum inter se valdè differentium. E.g. veneunt aceta alba ex *uvīs Rieslingianis* aut *Grauburgundianis* fabricata. - Aceta alba spectant ad aceta fermentationis, quae fabricantur fermentatione *acidi acetici*. Aceta alba saepe aromatibus mutantur, quo ipsa potius sunt substantiae basicae, quae adhibentur ad nova aceta conficienda.

acētum balsaminum

287

Balsamessig - *balsamic vinegar* – *vinaigre balsamique* – *vinagre balsámico* – *aceto balsamico*

2. cfr ThLL 2,1709. 72sq.: **balsaminus**, -a -um a balsamum. PLIN.nat.23,92 *oleum* balsaminum longe pretiosissimum omnium. 1,28,47.

Acetum balsaminum, quo est sapore dulciolo-acidulo et colore obscurè fusco typico, refertur in numerum acutorum omnium gratissimorum maximèque multiplicium. Quo aceto delicatiora fiunt acetaria, oxyalmae, esculenta carnea, holera, quae assantur craticulae imposita, immo vero, ipsi cibi dulces, velut tales, qui fraga continent.

Ecce aurum Italiae nigrum! - Acetum balsaminum multis in coquinis habetur pro condimento fundamentali. Tamen paucissimi tantum homines umquam gustaverunt acetum balsaminum verum. Quonam modo hoc factum sit et quâ ratione cognoscas acetum balsaminum summae bonitatis, hoc, cara Lextrix, care Lector, nunc accipe!

Acetum balsaminum est acetum, quod more tradito fabricatur ex musto uvarum. Pergratum est liquamini acetariorum inditum aut mensae secundae – quae componitur cum fragis aut piris aut glacie edibili.

Hoc acetum insigne est colore suo obscure fusco et aromate dulci-acido. *Acetum balsaminum scias esse optimum medicamentum digestivum*. - Oriundum est ex Italiâ. Fabula fert quendam visitatorem *Ducis Canossae* viri nobilis saeculi undecimi, cum gustasset acetum balsaminum, dixisse, hoc non esse acetum, sed balsamum, id est medicamentum – quia vim haberet tam iucundam ad digestionem.

Nam aceta balsamina more tradito cum inventa essent, aromatis fuerunt tam maturi, ut biberentur ad nutrimenta digerenda – quod etiam tibi licet hodie. Itaque oportet sorbilles ligulam huius aceti cenâ finitâ. Sed noli bibere copias maiores, ne stomachus tuus potius irriteretur acido acetico quam foveat digestionem. Praeterea acetum verè balsaminum

tam carum est, ut eodem utaris quam parcissimê Nonnulli coqui idem implent lagoenae sparsoriae, ne nimium effundant.

Alioquin nomen huius aceti fortasse non derivatur a vi medicinali, sed a fragrantîâ, nam balsami nomen spectat ad resinam arborum balsami, quae fragrat iucundissimê. At acetum balsaminum non fabricatur ex his plantis.

Acetum balsaminum secundum morem traditum quomodo fabricetur. - Acetum balsaminum omnium optimum atque pretiosissimum adhuc more tradito in Italiâ fabricatur idque ex uvis in regione cultis. Solent adhiberi uvae quae sunt generum *Lambrusco* aut *Ancellotta* aut *Trebbiano*. Quae uvae primo fiunt mustum (sucus uvarum recenter expressus), quod deinde per quattuor gradûs ita tractatur, ut fiat acetum balsaminum:

- Primo mustum uvarum per spatium 12, maximê 24 horarum in sartagine magnâ igne aperto coquitur. Eo modo mustum incrassatur, ut restent circiter 30, maximê 70 partes pro centum.
- Gradu sequenti mustum uvarum in dolia impletur, ut fermentetur. Ibidem enim saccharomycetes saccharum, quod inest musto cocto, mutant in alcohol.
- Deinde alcohol bacteriis acidi acetici (praesertim bacteriis, quae appellantur *Acetobacter* et *Gluconobacter*) et oxygenio digeritur, ut oriatur acidum aceticum. Gradus autem secundus et tertius non finiuntur nisi post unum annum.
- Deinde acetum balsaminum impletur in dolia lignea, ut inveterascat. Ibidem remanet per minimum 12 annos. At ut primum nonnulli menses elapsi sunt, semper oportet acetum transfundatur in dolium, quod constat ex ligno alius generis, necnon in eo servandus est certus ordo. Omnis fabricator aceti balsamini suo gustu proprio diiudicat, quo genere ligni adhibito acetum balsaminum sapiat quam optimê. Varia dolia lignea multum valent ad aroma aceti balsamini specificum efficiendum. Quia per lignum continuo liquor evanescit, acetum etiam etiamque viscosius fit et deminuitur. Ut dolia in transfundendo tamen iterum iterumque compleantur, semper aceto iuvenili additur aliquantum acetum vetustius.

Acetum balsaminum plerumque fabricari productione massali. - Scilicet non omne acetum balsaminum fabricari more tradito. Ex 90 milionibus litrarum Italici aceti balsamini tantummodo 10.000 litrarum hîc modo fabricantur in anno. Maxima pars fabricatur productione massali (et in tabernis una litra eiusdem vênit pretio minimo 8 euronum). At cum inter acetum verê atque genuinê balsaminum eiusdemque productum massale alii quoque sint gradûs qualitatis, acetum balsaminum nunc vênit in omni ferê classe pretiorum.

Quae sint differentiae qualitatis. - Tironi artis acetariae haud facile est differentias qualitatis aceti balsamini dinoscere et sat probê aestimare. Tamen multum iuvat aceta balsamina distribuere in quattuor categorias:

- acetum balsaminum more tradito fabricatum
- acetum balsaminum in urbe *Mutinâ* (i.e. *Modena*) fabricatum
- acetum balsaminum et acetum
- condimentum

Sed memorandum est has categorias non posse distingui rigore mathematico. **Gradus qualitatis altissimus:** acetum balsaminum more tradito fabricatum. Tale acetum fabricatur methodo supra descriptâ – quod habetur pro bono cultûs civilis tutando ideoque custoditur quam severissimê. Quod consistentiae est viscosae, paene syrupo similis, saporis est insigniter dulci-acidi fortisque fragrantiae. Quod fabricare non licet nisi in Italiae provinciis *Modena* et *Reggio Emilia*. Haec producta non veneunt nisi sub his nominibus:

1. *Aceto Balsamico Tradizionale di Modena* DOP
2. *Aceto Balsamico Tradizionale di Reggio Emilia* DOP

Sigillo DOP (italicê: *Denominazione di origine protetta*) signantur producta originis protectae. Aceta balsamina sigillo DOP signata existimantur a grege peritorum officiali. Non licet lagoenas ornamentis specialibus instructas aceto implere et vendere, nisi eodem explentur normae, quae sequuntur:

1. Acetum balsaminum fabricare non licet nisi ex musto uvarum.
2. Ne musto addantur additamenta.
3. Oportet acetum inveterascere per 12 annos.
4. Acetum balsaminum Modenense oportet contineat acidi portionem 5% (quinque partium pro centum)
5. Acetum balsaminum Regionis Aemiliae oportet habeat acidi portionem 4.5 %. (quattuor – virgula – quinque partium pro centum)

acētum mālinum

287

Apfelessig – cider vinegar – vinaigre de cidre – vinagre de manzana - aceto di mele

Acetum malinum oritur ex vino malino. Vinum autem malinum oritur, si succus malinus recenter expressus fermentatur. Hac fermentatione saccharomycetes saccharum mālōrum âère absente mutant in alcohol. Si hoc vinum malinum nunc conditur calidê et apertê, ut bacteria acidi acetici in eodem bene se habeant, haec bacteria oxygenio adiuvante alcohol ita fermentant, ut fiat acidum aceticum – qui processus fit per complures septimanas. Deinde habemus acetum malinum naturaliter turbidum et vivacissimum.

Ecce aceti malini secreta saluberrima. Procul dubio acetum malinum est medicamen efficax. Sed quare idem efficit? Scilicet hoc acetum continere mâli vitamina et mineralia, i.e. beta-carotinum, acidum folicum, vitamina B et C et kalium, magnesium, ferrum, microelementa. Sed ut iisdem fruamur, quidni comedamus ipsum mâli fructum aut bibamus sucum recenter ex mâlis expressum? Num est acidum aceticum, quo acetum malinum tot habeat effectûs multiplices? An aliud acidum, quod inest aceto malino? Num est enzymum? Eiusdem aceti vitalitas? Dolendum est quod hoc nescimus. Id est, scimus quidem acetum efficere, sed quo modo et quare efficiat, hoc parum accuratê scimus. Nam substantiae aceti malini, quae ratione physiologicâ sunt activae, usque nunc parum subtiliter sunt investigatae. Gaudeamus igitur, quod non est necessarium exspectare investigatorum inventa, sed nobis licet hîc aceto mirabili frui statim, hîc et nunc.

Aceto malino alvus laxatur. Primum omnium acetum malinum utile est ad cibos digerendos eo quod efficit, ut excernantur suci digestorii. Si e.g. nonnullos cibos – sive carnem sive holera – condideris oxyalmâ ex aceto malino et oleo et herbis confectâ, cibi fient multo teneriores multoque digestibiliores. Aceto malino sumpto ardor stomachi saepe mitigatur et alvi exoneratio – si quae est constipatio – haud diu retardatur. Imprimis digestio pinguaminum et carbohydratum aceto malino fit optimê – itaque acetum malinum in numerosis praeceptis gracilitatis adipiscendae curationibusque corporis descorticandi dicitur pinguamina supervacanea tam vehementer comburere, ut celerrimê deliquescant.

Num aceto malino pinguamina comburuntur? - Notio *cibi combustoris pinguaminum* (anglicê *fatburner*) saepe tam obscurê adhibetur, ut quidam homines sperent se, si tardissimê, post 30 dies et sine ullâ nutritionis mutatione adepturos esse formam corporis formosissimam. Hoc fieri potest etiam aceto malino sumpto – saltem in muribus. Mures enim si biberant 0,51 mililitras aceti malini pro chiliogrammo ponderis corporalis, non solum deminutus est eorum appetitus ciborum, sed etiam pondus corporis. Nescimus an hic effectus maximê optabilis fiat vi aceti malini digestivâ. Scilicet digestionem meliorem fieri, ut nutrimenta optimê digerantur ideoque potius oriatur saturitas.

Acetum malinum utile est ad appetitum caninum refrenandum. - Ex alterâ parte acido malino regulatur portio sacchari sanguinaria, ut eadem permaneat neve fiant phases hypoglycaemicae, quae apparent appetitu canino. Quo appetitu haud raro fit, ut primo nimis rapidê, secundo falsum, tertio nimis multum comedamus. Quibus rebus tribus omnibus fit adipositas, i.e. corporis pondus nimis exactum. Ergo si nimium sumus gulosi, bibamus acetum malinum!

Aceto malino sumpto saturamur. - Theses, secundum quas aceto malino sumpto fit saturatio melior, portio sacchari et insulini minor, confirmantur disquisitionibus numerosis, e.g. disquisitione a.2005 in Suetiâ factâ. Sueti demonstraverunt cenâ comesâ, - si quidem contineret acetum malinum – non solum effici saturitatem meliorem, sed etiam minus augeri portionem sacchari insulinique sanguinariam quam cenâ aceti malini experti.

Conclusio: Diaeta nutritoria aut curatio corporis descorticandi si in iisdem adhibetur acetum malinum, insigniter ditificatur necnon successum habent certiore.

Aceto malino deminui portionem sacchari sanguinariam. - Si qui homo laborat morbo diabetico, scilicet îdem semper studet portionem sacchari sanguinariae regulare. Ut iam supra commemoravimus, acetum malinum vim salubrem habet ad portionem sacchari sanguinariam ideoque potest adhiberi in diabeticis nutriendis. Itaque in diabeticis typi secundi et hominibus resistentiâ insulini laborantibus disquirendis observatum est, quantam vim haberet acetum malinum ad portionem sacchari sanguinariam.

M. Ian. a.2004 huius disquisitionis resultata in periodico speciali, c.t. *Diabetes Care*, publicata sunt. Hac autem in re memoratu est dignissimum acetum post prandia glycaemiae magnae (e.g. poma terrestria contrita) utile fuisse ad postprandialem portionem sacchari sanguinariam deminuendam, sed post prandia glycaemiae minoris (e.g. panis granosus cum acetariis) portionem non esse mutatam. Ergo hoc acetum in hominibus diabeticis aut insulino resistentibus non generaliter deminuit portionem sacchari sanguinariam, sed moderatum est leniter. **En Naturam Matrem sapientissimam! Quae insignis est virtute illâ cardinali, quam Graeci vocant σωφροσύνην, Romani temperantiam.**

acētum +maltōsum

287

Malzessig – malt vinegar – vinaigre de malta – vinagre de malta - aceto di malto

Acetum maltosum – nimirum – fabricatur *bracibus* (ut ait Plinius) sive *malto* (ut aiunt auctores aetatis mediae). Grana hordei, quae germinaverunt, adhibentur in cervesiâ braciandâ. Acetum maltosum, ut ita dicamus, sapore quo est nucino atque austero, oportet nos comitetur varia esculenta piscina comedentes. Nonnulla genera aceti maltosi primae qualitatis non ex cervesiâ, sed directê e malto fabricantur, ideoque saporis sunt magis maltosi. In Germaniâ acetum maltosum minus notum est parumque accessibile, sed in Britanniâ magnâ est inevitabile omnibus, qui comedunt pisces cum assulis pomorum terrestrium, quibus condiendis acetum directê infunditur.

acētum orȳzāceum

287

Reisessig – rice vinegar – vinaigre de riz – vinagre de arroz - aceto di riso

Quod acetum saepissimē adhibetur in coquinā asiaticā. Idem est mitis saporis, dulcioli, naturaliter oryzacei – cum fabricetur ex ipsā oryzā. Cum sit acetum mite, aptum est ad varias oxyalmas, liquamina, embammata conficienda iisdemque quandam dat saporis profunditatem. Multa sunt genera aceti oryzacei, condīti et non condīti. Acetum oryzaceum condītum solet adhiberi ad cibos condiendos, velut cibum oryzaceum typicē iaponicum (*sushi*) et continet salem saccharumque additum. Acetum oryzaceum non-condītum est acetum oryzaceum, ut ita dicamus, classicum, quod fabricatur ex vino oryzaceo fermentato. Gratissima sunt genera aceti oryzacei sinica, iaponica, coreanica, sed verisimile est ea, quae tu in supermercatu invenies, esse originis sinicae vel iaponicae.

acētum vīnāceum

287

Weinessig – wine vinegar – vinaigre de vin – vinagre de vino - aceto di vino

De aceto vinaceo si mentio incidit, verisimile est nos primo cogitare de aceto vini rubri et albi – sed emi potest etiam *acetum vini spumosi!* Acetum vini rubri est saporis genuini atque multiplicis, fructuosi atque bene condīti. E contrario acetum vini albi est saporis aciduli atque vivifici. Utrumque acetum vinaceum aptissimum est ad liquamina, qualia sunt *Vinaigrette* et *Bernaise* et *Romesco*. Acetum vinaceum semper est fidele acetum subsidiarium, si quod acetum speciale in promptu non habes. - *Acetum Ceretanum* fabricatur ex vino Ceretano, vino Hispaniae australis illustrissimo, cui nomen est *Sherry*. Quod aliquatenus simile est Itolorum aceto balsamino, quia pro aetate et fabricatione saporis est vehementer varii et protegitur sigillo D.O.P. Varia genera uvarum Hispanica adhibentur ad eius saporem unicum efficiendum. Hoc acetum maturescit in doliis ligneis, minimē per sex menses, maximē per decem annos, insigne est colore caramellino, consistentiā liquidā. Acetum Ceretanum saporis est unici, nucini, amabilis, qui quadrat ad pleraque praecepta coquendi mediterranea et vasconica – e.g. ad esculenta fabarum uberrima, saturas lances sapidissimas, cibos contritos cramosos. Conare, ut semper, abstinere omnibus additamentis non necessariis. - Loco aceti vini rubri licet adhibere Ceretanum aut malinum, loco aceti vini albi acetum vini spumosi aut essentiam aceti.

*achaena, -ae f.

114

Achāne – achene – akène – aquenio - achenio

Achaena (graecē χαίρειν *hiare* cum alpha privativo, ergo i.q. *non hiare*) in disciplinā botanicā appellatur genus *cleistocarporum* (fructuum clusilium) nucibus similium. - Achaenae sunt cleistocarpia unius seminis (non aperiuntur maturescentia), in quibus *tenue pericarpium* in uno tantum puncto adhaerens, tenax, aridum (paries fructūs partim tantum est lignificatus) unum semen (*testa*) circumplectitur densē adiacens. Exempli typica sunt *Helianthus*, sed etiam semina *Fragariae vescae*.

CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 9. November, dem Jahrestag des Falles der Berliner Mauer 1988:

2021* ante XXXIII annos ILLe MVrVs beroLIensIs a popVLo paCIfICe patefaCtVs est. eXsVrgat VoX nostra: ConsensVs et IVstItIa atqVe LIbertas pro patrIa teVtonICa Lege reVnIfICata! - Vor dreiunddreißig Jahren ist die Berliner Schandmauer vom Volk auf friedliche Weise geöffnet worden. Unsere Stimme soll sich erheben: Einigkeit und Recht und Freiheit für das durch das Recht wiedervereinigte deutsche Vaterland!

Zum 10. November, dem Fest des heiligen Leo des Großen:

2021* Leo papa: DoCtor sapIens eCCLesIae - eLoqVentIa aLta IntrepIDVs Defensor VrbIs. – Papst Leo, weiser Doktor der Kirche, war durch seine hohe Beredsamkeit ein unerschrockener Verteidiger der Stadt Rom. – Leo I. der Große, Papst 440 - 461, berief 451 das Konzil von Chalcedon ein, wo Klarheit über die unvermischten Naturen in Christus gewonnen wurde; unerschrocken rettete er Rom vor der Verwüstung durch den Hunnenkönig Attila, „die Geißel Gottes“, indem er ihn durch seine göttlich inspirierte Rede 452 zum Rückzug nach Pannonien bewegte.

Zum 11. November, dem Fest des heiligen Martin:

2021* MartInVs Confessor et epIsCopVs In Casa DeI fortIter pro nobIs ConCertaVIIt. – Der Bekenner und Bischof Martin hat im Hause Gottes mutig für uns gekämpft. – Martin von Tours (317-397) war zunächst Soldat, dann getauft, Mönch und Bischof und ein großer Verteidiger der Sitten im Hause Gottes, d.h. in der Kirche.



Allgäuer Bildschnitzer (1970-1975), aus dem Nachlass von Kardinal Meisner, heute
Missionsmuseum Cruzeiro do Sul

Zum 15. November, dem **Fest des hl. Albert des Großen:**

2021* ALbertVs MagnVs VIVa LVX Verae sapIentIae et pro nobIs DoCtor
VnIVersaLIIs sCIentIae natVrae et phILOSophIae atqVe theoLogIae. – Albert der
Große war ein lebendiges Licht der wahren Weisheit und für uns ein universaler
Meister der Naturwissenschaft, der Philosophie und Theologie. - 2021 ALbertVs fVI
pro nobIs In VIta InsIgnI MagnVs reLIgIoVs, DoCtor fILOSophIae, theoLogIae,
sapIentIae natVraLIIs, pontIfex, VerVs sanCtVs .oret pro nobIs – Albert war für uns

in seinem vorbildlichen Leben ein Großer als Ordensmann, als Lehrer der Philosophie, der Theologie, der Naturwissenschaft, als Bischof, als wirklicher Heiliger. Er bete für uns- – Albert * um 1200 aus dem Rittergeschlecht der Böllstädt zu Lauingen an der Donau, trat zu Padua während seines Studiums in den Dominikanerorden ein, lehrte an den Ordensschulen in Köln, Hildesheim, Freiburg und Straßburg, dann in Paris Philosophie und Theologie, sein bedeutendster Schüler war Thomas von Aquin; Albert war Botaniker, Chemiker, Astronom und besaß ein Universalwissen in allen naturwissenschaftlichen Fächern; zwei Jahre lang war er Bischof von Regensburg, ehe er wieder in seine Gelehrtenstube zurückkehrte; + am 15. 11.1280, seine Reliquien in St. Andreas in Köln.



Fra Angelico: Albertus Magnus (1436-1443 - San Marco)

Zum 17. November, dem Fest der heiligen Elisabeth von Thüringen:


2021* ELIsabeth, AnDreae regIs HVngarIae fILIIa et LVDoVICI LantgraVII HassIae et ThVrIngIae VXor atqVe VIDVa tVtrIX InfInItO Labore In VerItate pIetatIs paVperIbVs, aegrotIs, LeprosIs sVbVenIt .oret pro eIs - Elisabeth, die Tochter des Königs André von Ungarn und Gemahlin und Witwe von Ludwig, dem Landgrafen von Hessen und Thüringen, hat als Beschützerin mit unendlicher Mühe in wahrer Liebe Armen, Kranken und Leprakranken geholfen. Sie bete für sie!



Allgäuer Bildschnitzer (1970-1975), aus dem Nachlass von Kardinal Meisner, heute
Missionsmuseum Cruzeiro do Sul


Zum 21. November, dem Fest Christkönig:

2021* aDVenIat nobIs regnVM IesV nostrI DeI sIne fIne.- Es komme für uns das Reich Jesu, unseres Gottes, das kein Ende kennt.



Venedig, San Markus – Foto Hildegard Schuhmann

2021* IesV regI sIt a nobIs sVMMV s honor sIne fIne! - Christus König sei von uns höchste Ehre ohne Ende!




2021* **IesV**, **reX** **g**Lor**iae**, **sp**Len**D**or **Patr**Is, **Can**Dor **L**V**C**Is **aetern**Itat**Is**, **De**Vs **fort**Is, **et** **sap**Len, **bon**Itas **Inf**In**Ita**, **so**L **I**V**st**It**iae**, **L**V**X** **V**Itae, **t**Vere nos. – Jesus, König der Herrlichkeit, Ebenbild des Vaters, Glanz des ewigen Lichtes, starker und weisee Gott, unendliche Güte, Sonne der Gerechtigkeit, Licht des Lebens, beschütze uns! – Mit Benützung von Anrufungen der Litanei vom Hhl. Namen Jesu.

2021* **I**V**D**I**C**I**V**M **V**n**I**Versa**L**e **V**ersab**I**t**V**r **V**n**I**C**e** **C**I**r**C**a** gesta et rat**I**ones h**V**I**V**s **V**I**t**ae **V**I**a**t**o**r**I**s **I**n **terr**Is **nostr**Is. – Das allgemeine Gericht handelt einzig über die von una veübten Taten und Absichten dieses <unseres> Wanderlebens hier auf unserer Erde. – nach F. Dender: De Novissimis 6

2021* **Re**X **o**M**n**I**V**M, **s**It honor **t**ib**i** a tot**Is** nob**Is**! – König aller Könige, Ehre sei Dir von uns allen!

Zum 21. November, dem Totensonntag – s. 2. November, Allerseelen



Christus wischt die Tränen

(Kloster Heiligenkreuz bei Wien)

2021* ars bene **MorIenDI** est totIs nobIs **Vera** ars bene **VIVenDI** – Die Kunst, gut zu sterben ist für uns die wirkliche Kunst, gut zu leben. – aber umgekehrt gilt auch: 2021* ars **Vera** bene **VIVenDI** est totIs nobIs ars bene **MorIenDI** - Die Kunst, gut zu leben ist für uns alle die wirkliche Kunst, gut zu sterben. – Denn wer gut sterben will,

muss sich durch ein gutes Leben auf den Tod vorbereiten, und wer die echte Kunst beherrscht, gut zu leben, beherrscht auch die Kunst, gut zu sterben - denn wie man lebt, so stirbt man auch. – „Leben muss man lernen für den Tod, sterben lernen für das Leben“ Johannes Paul II. Ansprache an die Bischöfe aus Süddeutschland 39 f (10.12.1992) - vgl. Eccli 7,40: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.- In all deinen Taten gedenke deiner letzten Stunde, und in Ewigkeit wirst du nicht sündigen.

2021* **DIes DoMIInI VenIet totIs nobIs Vt fVr.** – Der Tag des Herrn wird für uns alle kommen wie ein Dieb <in der Nacht>, 2 Petr3,10

2021* **eIa IesV pIe, ab IMproVIsa et repentIna Morte tVere nos!** – Oh gütiger Jesus, vor einem unvorhergesehenen und jähen Tod bewahre uns!

2021* **InanIs VIta terrestrIs nobIs soMnIVM breVe.** – Das armselige Erdenleben: für uns ein kurzer Traum.

2021* **Integer qVI sIs hoMo, nosse VtI sapIenter et fortIter teMpore tVo.** – Der du gänzlich ein <vergänglicher> Mensch sein magst, wisse in Weisheit und in Stärke deine <flüchtige> Zeit zu nutzen! – Ovid, tristia 4,3,83 –

2021* **Mors erIt pro nobIs nobIs terMIInVs VIae VItae.** – Der Tod: für uns das Ende des Lebensweges. – Varianten: 2021* **Mors erIt nobIs totIs terMIInVs VIae terrestrIs et aperIet se nobIs porta aeternItatIs.** – Der Tod wird für uns alle das Ende des irdischen Weges sein, und es wird sich uns die Pforte zur Ewigkeit öffnen. – Variante: 2021* **Mors erIt nobIs totIs terMIInVs VIae et porta VItae aeternae.** – Der Tod ist für uns alle das Ende des Lebensweges und das Tor zum ewigen Leben.

2021* **Mors nobIs InItIVM Verae VItae erIt.** – Der Tod wird für uns der Beginn des wahren Lebens sein.

2021* eIa obIbIs, hoMo – natVs Infans erIs MorItVrVs. – Oj je: Du wirst sterben, o Mensch - bei der Geburt als Säugling schon wirst du für den Tod bestimmt sein! – vgl. Augustinus, In Ioh. evgl. tract. 44,6

2021* oMnIa erIt totIs nobIs VanItas VanItatVM. - Alles wird für uns alle Eitelkeit von Eitelkeiten sein – <sagt Cohelet> (1,2)

2021* reqVIeM aeternaM pIe eXopto eI fratrI nostro IbI. – Die ewige Ruhe ersehne ich dort fromm ihm, unserem Bruder. – Variante: 2021* reqVIeM aeternaM eXopto eI fratrI nostro pIo IbI. – Die ewige Ruhe ersehne ich dort ihm, dem frommen Bruder.



Kreuz mit zwei Engeln, Syrien, 6. Jh., Kopie eines Elfenbeins der Staatlichen Museen Berlin, Kapelle der Spiritaner, Cruzeiro do Sul

2021* teMpVs VItae terrestrIs praesentIs est totIs nobIs teMpVs gratIae. – Die Zeit des gegenwärtigen Erdenlebens ist für uns alle eine Zeit der Gnade. – vgl. 2 Cor 6,2

2021* terMI nabIt IbI Vita Ista, non VerVs aMor – Es endet dort dieses Leben, nicht die echte Liebe.

2021* terMI natVr pro nobIs oMnIs VIa VIatorIs. – Jeder Weg eines Wanders geht einmal für uns zu Ende.

2021* tV qV oqVe perIbIs perManens IbI Inter Manes. – Oh weh, auch du wirst vergehen und dort unter den Toten bleiben!

2021* VenIt terrIgenIs oMnIbVs nobIs trIstIs Vna Mors. – Es kommt für uns alle Erdenkinder der eine traurige Tod. – nach Horaz, Carmen 1,28,15

2021* VIta Ista hoMInIs VMbra est, qVae fIt et praeterIt. – Dieses Leben des Menschen ist ein Schatten, der entsteht und vergeht. – vgl. Hiob 14,9; Ps 143,4; Sap 2,5

2021* VIta In terrIs pro nobIs trIste soMnIVM breVe. – Das Erdenleben ist für uns ein trauriger, kurzer Traum.




**Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem
Chronogramatischen Jahresweg 2021 – herzlichst, Pe.
Herbert Douteil, CSSp.**

Zum 22. November, dem **Fest der heiligen Caecilia:**

2021* **CantantIbVs organIs CaeCILIA Longos MartYrII DoLores patIens**
pertVLIit. oret pro nob**Is**– Mit singender Stimme hat die Caecilia die langen
 Schmerzen des Martyriums geduldig ertragen. Sie bete für uns– Die Märtyrin
 Caecilia (2./3. Jh, Basilika in ihrem Haus in Trastevere in Rom) wurde durch ein
 Missverständnis des Beginns der sehr populären Antiphon „*Cantantibus organis*
Caecilia“ = unter dem Schall von Orgeln (anstelle von richtiger Stimmbändern) von
 Malern mit einer Handorgel dargestellt und zur Patronin der Kirchenmusik erklärt.

Zum 30. November, dem Fest des heiligen Apostels Andreas:

2021* **AnDreas fVI**it Vn**Vs** e**X** **DI**s**CI**p**VLI**s **IoannIs** BaptI**stae** q**VI** se**CV**t**Vs** est et
VIr**IL**I**ter** ob**II**t et ornat**Vs** et so**CIV**s fratr**Is** **CLa**V**IFer**I In **V**ita atq**Ve** In pass**I**one
LIgno **Cr**V**CI**s pre**CI**osae aff**IX**Vs. oret pro nob**Is**. – Andreas war einer der Jünger
 Johannes des Täufers, der folgte und der als mannhafter und verherrlichter Gefährte
 des Bruders, des Schlüsselträgers, im Leben und im Martyrium, an das Holz des
 kostbaren Kreuzes geschlagen. Er bete für uns!– Joh 1, 35.37 – *Die beiden Brüder*
Andreas und Petrus starben beide am Kreuz, der eine an einem X-förmigen, der
andere mit dem Kopf nach unten; Andreas soll es begrüßt haben mit den Worten:
„Lang ersehntes, kostbares Holz des Kreuzes!“



Tilmann Riemenschneider, Heiligblutaltar der Jakobuskirche in Rothenburg ob der Tauber, um 1510 - Andreas

Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem Chronogramatischen Jahresweg 2021 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp.

NB: Die Chronogramme des ersten Halbjahres 2021 sind auf meiner Website veröffentlicht: <https://herbertdouteil.de/chronogramme.html>, sowohl das 1. Halbjahr geschlossen in einer Datei und dann jeweils die Monate separat.

2021* Zum 01. Dezember:

2021* DeCeMber Inter aLIas festIVIitates habet Iestas: BIbIanae, XaVerII, Barbarae, NICoLaI, VIrgInItatIs pVrae, AnastasIae, LVCIae, natIVItatIs InfantIs IesV, StephanI et IoannIs. – Der Dezember hat unter anderen Festen diese: der Bibiana (1.), des <Franz> Xaver (2.), der Barbara (4.), des Nikolaus (6.), der Reinheit der Jungfrau <der Unbefleckten Empfängnis> (8.), der Anastasia (9.), Luzia (13.), der Geburt des Kindes Jesus (25.), des Stephanus (26.) und des Johannes (27.).



**PIA HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
P. HERBERTUS DOUTEIL**

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Fjodor Dostojewski

* 11. November 1821 in Moskau

† 9. Februar 1881 in Sankt Petersburg

QVIINQVIES QVADRAGINTA ANNIS ANTE NATVS
 THEODORVS DOSTOEVSKIJ
 CAPTIVVS POLITICVS
 BONVS SCRIPTOR RVSSICVS

MMXXI

Vor zweihundert Jahren wurde Fjodor Dostojewski geboren.
 Er war ein politischer Häftling und ein großer russischer Schriftsteller.

* * *

QVATER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE NATVS
 THEODORVS DOSTOEVSKIJ
 PRAECIPVVS SCRIPTOR RVSSICVS
 ATQVE
 CREATOR RODIONIS RASKOLNIKOV

MMXXI

Vor zweihundert Jahren wurde Fjodor Dostojewski geboren –
 ein vorzüglicher russischer Schriftsteller
 und auch Schöpfer der Romanfigur „Rodion Raskolnikow“.

Paul Simon

* 13. Oktober 1941 in Newark, New Jersey

CANOR SILENTII
SALVETE TENEBRAE...

QVATER VIGINTI ANNIS ANTE
III IDVS OCTOBRES
NOVARCI NATVS
PAVLVS SIMON
ARTIFEX INGENIOSVS

MMXXI

The Sound of Silence
Hello darkness, my old friend...

Am 13. Oktober vor achtzig Jahren
wurde der talentierte Künstler Paul Simon
in Newark geboren.

* * *

Arthur „Art“ Garfunkel

* 5. November 1941 in Forest Hills, New York City

QVATER VIGINTI ANNIS ANTE
DIE QVINTO NOVEMBRIS
NOVI EBORACI NATVS
ARTHVRVS GARFVNKEL
CANTOR EXCELLENS ATQVE HISTRIO

MMXXI

Am 5. November vor achtzig Jahren
wurde der ausgezeichnete Sänger und Schauspieler Art Garfunkel

in New York geboren.

Hertha Kräftner

* 26. April 1928 in Wien
† 13. November 1951 in Wien



HERTHA KRAEFTNER
INCLYTA SCRIPTRIX AC POETRIA AVSTRIACA
SEPTVAGINTA ANNIS ANTE
IDIBVS NOVEMBRIVS
VIENNAE SPONTE VITA EXIIT

MMXXI

Hertha Kräftner,
eine berühmte österreichische Schriftstellerin und Dichterin,
ist am 13. November vor siebzig Jahren
in Wien freiwillig aus dem Leben geschieden.

Tadeusz Różewicz

* 9. Oktober 1921 in Radomsko

† 24. April 2014 in Breslau



VIGINTI LVSTRIS ANTE
 VII IDVS OCTOBRES NATVS
 TADEVSZ ROZEVVICZ
 PRAECLARVS SCRIPTOR POETA SCAENICVS AC
 VATES POLONICVS

MMXXI

Am 9. Oktober vor hundert Jahren wurde er geboren: Tadeusz Różewicz,
 ein berühmter polnischer Schriftsteller, Dramatiker und Dichter.

Georg Kreisler

* 18. Juli 1922 in Wien

† 22. November 2011 in Salzburg

GEORG **IVS** KREISLER

COMPOSITOR **C**ANTOR ATQ**VE** **C**ABARET**I**STA
BON**V**S

ANTE B**I**S Q**V**INQ**V**E ANNOS

XKAL. **X**BRES SA**L**ISB**V**RG**I**VIVERE **D**ES **II**T

M M X X I

Am 22. November vor zehn Jahren starb in Salzburg
der Komponist, Sänger und bedeutende Kabarettist GEORG KREISLER.

Gabriela Zapolska

* 30. März 1857 in Podhajce bei Łuck (heute Ukraine)

† 17. Dezember 1921 in Lemberg (Lviv, heute Ukraine)

GABRIELA ZAPOLSKA

1. EGREGIA SCRIPTRIX POLONA

ATQVE

CRITICA SAENICA

CENTVM ANNIS ANTE

XI KAL. IANVIAS

LEOPOLI OBIIIT

AETATIS SVAE LXIV

MMXXI

Am 17. Dezember vor hundert Jahren starb in Lemberg
die herausragende polnische Schriftstellerin und Theaterkritikerin
Gabriela Zapolska im Alter von 64 Jahren.

**HAEC CHRONOGRAMMATA ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS ROESSLER**

ECHUS VOCES ET EPISTULAE

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

D.23.m.Nov.a.2021 h.17:41 scripsit latino@ipoint.it:

Victorius Nicolao suo sal. plur. Dicit.

Consilium tuum, mi Nicolae, res humanissimas veluti "requisita naturae" tractandi etiam in proximis Epistulis Leoninis valde probo. Praeterea laudo eam archaeologam Batavam recte dicentem: «antiquis latrinis perscrutandis vitam Romanorum cottidianam singulariter cognosci posse». Ceterum corporalia minime obscena sunt. Optime valeas.

Nicolaus Victorio sal.pl.

Gratias plurimas, amice carissime! Valde gaudeo, quod tibi placent requisitorum naturae considerationes archaeologicae et lexicographicae. Nunc ut vales? Mox tibi mittam glossas meas. Utinam eadem etiam tibi placeant, utinam quam celerrime reconvalescas.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

1 giorno Domenica, 28 Novembre, 2021 15:52 CET, SPQR <spqr@leolatinus.de> ha scritto:

Nicolaus Victorio suo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Quid nunc, Victori carissime? Tunc aliquatenus bene te habes? Utinam bene iam reconvalueris et corroboraveris! Studeo hoc tempore Epistulis Leoninis scribendis necnon Glossario Orbis Picti Hexagloti complendo; quorum studiorum participem te esse cum mihi affirmaveris, ausim tibi mittere primas Glossas huius tomi alterius. Rogo te, ut mihi dicas quaecumque tibi videantur de forma et argumentis et explicationibus harum glossarum. Mea quidem sententia versiones modernarum linguarum et loci testes, imprimis Latini, quam subtilissime sunt indicandi. Quod attinet ad vim nominum tot materiarum et animalium et instrumentorum et machinarum, scilicet non semper indicari posse explicationes subtiles et prolixas. In hac re delectamenta et fructus legendi et eventus Latinitatis vivae mihi praestare videntur rigori mathematico et subtilitatibus intricatissimis. Porro non omnia eadem subtilitate possunt tractari. Sequor eas rationes glossographicas, quas secutus iam sum GLOSSARIUM FRAGRANTIAE componens. Utinam sicuti in operis prima parte, etiam in Glossis Orbis Picti componendis sint mihi tecum colloquia per litteras iucundissima atque fructuosissima! Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Groß sive Leo Latinus

D.29. m.Nov. a.2021 h.15:24 scripsit latino@ipoint.it:

Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.

Etsi nondum bene me habeo, sum tamen paratus, Nicolae humanissime, ad Epistulas Leoninas Glossariumque Orbis legendum. Sed inopinanter accidit ut additamentum, quod in cauda epistulae tuae indicatur, non se patefiat. Utrum hoc obstaculum a mea imperitia pendeat an ab computatro ipso, tantum die Veneris pro certo sciam: quo enim die vir quidam rerum computatralium peritissimus domum veniet et me docebit quomodo ista computatralis difficultas solvi possit. Quare te oro obsecroque ut hanc dilationem per aliquot dies patienter tolereas. Optime valeas.

Il giorno Lunedì, 29 Novembre, 2021 21:43 CET, SPQR <spqr@leolatinus.de> ha scritto:

Care Victori,

haec dilatio nullo modo mihi molesta est. Tamen iterum tibi misi appendicem; fortasse nunc aperire poteris. Ceterum novistine Bernardum Ramazzini medicum Italum Latine scribentem? Qui optime meruit de medicina professionum; quae spectat ad morbos singulorum professionum typicos. https://it.wikipedia.org/wiki/Bernardino_Ramazzini Ramazzini e.g. disquisivit morbos fornicariorum. Eius Latinitas bona beneque intellegibilis est. Haec breviter, mox, si volueris, plura tibi scribam. Utinam reconvalescas quam optime! Medullitus Nicolaus.

Am 03.12.2021 um 18:43 schrieb latino@ipoint.it:

Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.

1) Pro dolor, mi Nicolae, responsum, quod nuperrime dedit mihi vir «rerum computatralium peritissimus», meam spem fore ut additamentum tuum legere possem, frustravit. Is enim dixit: "Programma, quo tu usus es in additamento apparando, non congruit cum computatro meo. Tantum quae a te per <word> missa accepero, ea *fortasse* legere poterō. Aliter obstacula, quae tuum inter et meum computatrum exstare videntur si programmata interretialia adhibeantur computatris nostris haud communia, superari non poterunt". Sed cur, quaeso, superiores epistulas tuas ad 'glossarium' spectantes facile legere valebam? His de rebus technicis equidem respondere prorsus nescio.
2) De Bernardino illo Ramazzini symbolam scripseram, quam Gaius noster, qua est humanitate, edendam curavit in fasciculo n. 184 'Melissae' (m. Febr. a. 2015, pp. 10-12). Optime valeas.

Nicolaus Victorio s.

Summas gratias, care amice, pro studiis tuis. Iterum conabor textum mittere. Exspecta paulisper. Utinam reconvalescas! Medullitus N.

JOANNES CAROLUS ROSSI ARCHITECTUS MEDIOLANENSIS

D.01.12.2021 um 17:44 scripsit Joannes Carolus Rossi:

Joannes Carolus Nicolao suo salutem!

Libellum modo allatum de re cacatoria legenti mihi multa venerunt in mentem, quae circa tam odoratum argumentum versantur.

Scito enim me facetiis de merda inde a puerulo maxime delectari, quasi Lutherum redivivum, qui ista hilariter pertractavit, immo vero adhuc, qua sum aetate, a risu vix contineri me posse, siquid cacatorium narrari audiverim. Ne multa. Hoc autem velim tibi referre, quod typographo maligno facile refertur, qui ut nescioquam Erasmi iniuriam ulcisceretur, mentulam pro mente scripserat.

Dum in Atheneo politechnico Mediolanensi architecturae studiis vaco, datum est pensum sat grave mihique valde molestum: referrem de pantopoliis, quibus Foederatae Americae Arcticae Civitates pollere videbantur. Tunc temporis enim -septimo saeculi superioris decennio- pauca exempla horum aedificiorum in Europa exstructa erant.

Praeceptoris tale pensum imperanti invitus obtemperavi, sed quo magis rei propositae studebam -centenas paginas anglice conscripta erant legenda atque interpretanda- subiit vehementissima voluntas ulciscendi. Ecquid feci? Haud secus ac typographus ille, vocabuli saepius occurrentis consulto litteram unam mutavi, ut sensus obcenus adumbraretur.

Habeas vocabulum: *supermercato*. Pro *c* littera scripsi *d* quotienscumque licuit, quasi mendose dactylographus textum descripsisset. Ergo *supermercatus* factus est *supermerdatus*.

Professor ait nimiis mendis scaterere scriptum, sed non est ausus exemplum promere...

Haec volem nescius ne esses, sed plura aliquando...Vale basilice immo papaliter!

Nicolaus Joanni Carolo suo iocoso salutem plurimam.

Gratias plurimas pro epistolio tuo, quod conscripsisti more Poggii Bracciolinii. Illi Professoři architecturae dolum nexisti lepidissimum. Si permiseris, elegantias tuas libenter publici iuris faciam. Haec raptim, mox, si volueris plura. Vale quam optime. Nicolaus.

D.02.m.Dec.2021 h.19:08 scripsit Giancarlo Rossi:

Rete usus mundano hanc Lutheri facetiam sum expiscatus, saeculo XVI editam:

Dyssenteria Martini Lutheri in merdipoetam Laemmichen

Quam bene conveniunt tibi res et carmina, Lemchen!

Merda tibi res est, carmina merda tibi.

Dignus erat Lemchen merdosus carmine merdae,

Nam vatem merdae non nisi merda decet.

Infelix princeps, quem laudas carmine merdae,

Merdosum merda quem facis ipse tua.

Ventre urges merdam vellesque cacare libenter

Ingentem, facias merdipoeta nihil.

At meritis si digna tuis te poena sequetur,

Tu miserum corvis merda cadaver eris.

Tute videris, qua es acribia philologa, recten sit transcriptum carmen, nonnulla enim emendare conabar, quae vitiose librarius impresserat. Nescio autem in quem bilem suam Lutherus evomuerit, qui appellatur Laemchen, hoc est, ni fallor, agnellus.

Nicolaus Iohanni Carolo s.

Mirum invenisti cimelium concacatum! Lutherum coprologiae deditum fuisse notum est. Eius orationes mensales scatent verbis cacatoriis. Sed hoc documentum insigne est sermone Latino. Quod inseram THESAURO LATRINAE secunda a proxima Epistula Leonina publicanda. Vale semper, N.


Summas gratias tibi dicit Nicolaus Leo Latinus.

LOGODAEDALUS ITALUS STUDIOsus IURISPRUDENTIAE

D.03.m.Dec. a.2021 h.09:24 scripsit GM T:

Logodaedalus Leoni s.p.d.

Ego sum juvenis italus juris studiosus in academia et linguae latinae magno cum gaudio operam do. Logodaedali cognomen a [pipiatione](#) Alvari Matritensis de vocabulis latinis insolitis sumpsit, quod maxime verbi significatio placebat (v. infra). Cur cognomen sumpsit? Abhinc annum unum amicus meus Jacobus sodalicium haicubus latine pangendis romanum "[Opaca Fronde](#)" condidit et postquam ei haicu misi a me petivit ut haicua scribere pergerem et cognomen sumerem ad ea foras danda. Ab illo die Logodaedali cognomine utor in omnibus gregibus latine loquentium. Gratias tibi ago quod mihi proximas Epistulas Leoninas mittas. Cura ut valeas! Logodaedalus.



Leo Logodaedalo s.

Magnas, care Logodaedale, gratias tibi ago pro testimonio nominis tui allato. Praeterea gaudeo iurisprudentiae studiosum ipso hoc tempore colere linguam Latinam! Videris mihi rara avis in terris, ut ait Iuvenalis et corvus albus, ut ait Erasmus. Libenter tibi mittam Epistulas meas. Pancratice vale, mi Logodaedale, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Leo Latinus.

GAIUS LICOPPE MEDICUS BELGA NESTOR LATINITATIS VIVAE INDEFESSUS

Le 28 nov. 2021 à 15:41, SPQR <spqr@leolatinus.de> a écrit :

Nicolaus Gaio suo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Valde gavisus sum quod te Franciscamque heri spectavi conferentiae zoomianae participes. Utinam vos ambo defensores Latinitatis maxime strenui quam optime valeatis! Conferentiae hesternae sane difficile initium, finis felix. Tales difficultates conferentiarum interretialium ego quoque iam saepius expertus sum in institutione scholari. Imprimis si fiunt cum discipulis minoris aetatis, oportet nervi magistri sint tamquam chalybei. Quid de amico nostro Victorio Ciarrocchi? Nuper mihi scripsit se sectione superata domi versari aliquatenus bene se habere. Habesne aliquid novi de eo? Hoc semestri tria habeo seminaria universitaria interretialia, cursum linguae palaeograecae, linguae sanscritae, lectionem Anecdotorum Procopii Caesariensis. Spero proximo semestri futuro fieri posse, ut Colloquium Latinum interretiale praebeam aut per systema universitatis zoomianum aut per privatum. Plurimum valet, quod talium colloquiorum etiam hospites externi (extra universitatem versantes) possunt participare. Quid vobis videtur de colloquiis zoomianis Latinis? Post acroases Academiae (doctae sane et delectabiles) paucae tantum minutae restant colloquiorum. Ceterum studeo Epistulis Leoninis scribendis necnon Glossario Orbis Picti Hexagloti complendo; quorum studiorum participem te esse cum mihi affirmaveris, ausim tibi mittere primas Glossas huius tomi alterius. Rogo te, ut mihi dicas quaecumque tibi videantur de forma et argumentis et explicationibus harum glossarum. Mea quidem sententia versiones modernarum linguarum et loci testes, imprimis Latini, quam subtilissime sunt indicandi. Quod attinet ad vim nominum tot materialium et animalium et instrumentorum et machinarum, scilicet non semper indicari posse explicationes subtiles et prolixas. In hac re delectamenta et fructus legendi et eventus Latinitatis vivae mihi praestare videntur rigori mathematico et subtilitatibus intricatissimis. Porro non omnia eadem subtilitate possunt tractari. Sequor eas rationes glossographicas, quas secutus iam sum GLOSSARIUM FRAGRANTIAE componens. Libenter recorder copiosum et iucundum commercium epistularum coreano-belgicum, quod illo tempore vobiscum habui. Utinam etiam in Glossis Orbis Picti componendis sint mihi vobiscum colloquia per litteras tam fructuosa!

Valete pancratice et perge mihi favere. Medullitus vos salutat

Nicolaus Groß sive Leo Latinus

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Novissima epistula tua mihi bene allata est. Te adiuvere conabor pro tempore quod mihi superest, cum multa mihi sint agenda. Celeriter imprimis subiunctum indicem inspexi et mihi iam est interrogatio: cur in glossario de vocabulis antiquis, quae in omnibus lexicis inveniuntur, quoque tractas? In novissimis nuntiis, quos ad me misit Victorius, dicebat se anxie exspectare exitum investigationis histologicae sui cancri; infeliciter in regione eius - et fortasse in tota Italia - non solum sectiones chirurgicae sed quoque examina morata sunt in nosocomiis coronaviro aegrotantibus saturatis. Certe malo acroasin facere coram corporaliter praesentibus auditoribus, ut quid sentiant percipiam. Acroases tamen virtuales emolumentum quoque habent, cum etiam longinqui homines participare possint. Linguae sanscriticae etiam studes; estne vere utilis operibus tuis? Meo sensu solum spectat ad linguistas. Cura ut valeas.

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic.

Magnas gratias tibi ago, care Gai, quod perrecturus es me Orbem Pictum Hexaglottum complementem suadendo comitari. Tomus alter lexicis mei continet glossas, quae spectant plus minusve ad omnes terminos technicos, qui insunt et illustrantur picturis tomi primi. Nam non solum tracto neologismos, sed sequor exemplum Orbium Pictorum priorum, e.g. Comenianum et Gailerianum et Kollerianum. Velim enim Orbis Pictus fiat caleidoscopium mundi moderni, rerum naturalium et technicarum, quae picturis ipsis brevibusque sententiolis describuntur. Quantum attinet ad indicia et testimonia Latina et Graeca, quam subtilissime operor; quod attinet ad descriptiunculas rerum, minus scientificae, magis delectabiliter studeo scribere. Valde doleo, quod Victorius sodalis noster tam periculose aegrotat idque in statu nosocomiorum tam difficili. Utinam faveat ei Aesculapius, ut probam histologicam evadat feliciter. Permittas ut obiter adnotem studia sanscritica multimodis prodesse et menti et animae: linguisticae philologicae philosophicae. Ceterum non intellego, quare eam inutilem nobis esse sentias eo quod spectet ad linguistas. Nonne nos ambo, care Gai, ipsi tractamus res linguisticae in nuce - eo quod ferventissime studemus vocabulis Latinis quaerendis et disquirendis et confingendis et in lexica inserendis. Nonne ipsa studia nostra sunt vere linguistica? Mox mittam tibi glossas omnium verborum Orbis Picti Hexagloti, quae incipiunt a littera A; libenter accipiam quaecumque mihi benigne suaseris Nestorea tua cum peritia atque sapientia. Pancratice vale, sodalis Latinissime, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Nicolaus.

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Tibi mitto animadversiones de initio litterae A:

- Accensiculum: cur aliquid novi ubi "ignis" non apparet, cum Caelestis iam diu proposuerit "ignitabulum" (apud Plinium Maiorem legitur "lapis igniarius" unde, si volumus, derivare possumus "igniarium")?
 - accibulum: prima pars vocabuli "acci" nihil significat; "arcessi" mihi melius convenire videtur et adiungendum est "tele": telearcessibulum". Ipse hoc instrumento quoque usus sum ante telephobum gestabile; cum mihi vigilandum erat pro nosocomio, hoc instrumento arcessebar.
- Cura ut valeas.

Nicolaus Gaio s. Summas gratias. Mutabo mutanda. Vale semper, mox plura. Medullitus Nicolaus.

MAURUS PISINI POETA ITALUS

Die 16.m.Dec. a.2021 h.15:44 scripsit Mauro Pisini:

Nicolao Gross Maurus Pisini s. p. d.

Velim tibi, Nicolae, ante diem natalem Domini, poematum quoddam mittere quod versibus haicuis conscripsi pro commentariis tuis leoninis. - Cum autem, praeter multa optimae notae aliaque magnae delectationis, uti in fasciculo novissimo de Romanorum foricis, ulla unquam carmina in iisdem edita legissem, hic te humaniter rogo num tibi meum carmen, si placuerit, possis, an non, vulgare. - Hac de re gratus, in venturas festivitates tibi vota sincera exsolvo.

Cura ut valeas.

Nicolaus Mauro sal.pl.

Libentissime, care sodalis, carmen tuum in proxima Epistula Leonina (247) divulgabo, quam cras edam. Iam miratus sum, quod ex longo tempore nulla iam haicua Latina inveneram in periodicis Latinis. Gaudeo, quod tu videris hunc morem poetarum neolatinorum renovare. Mittas, quaeso, opusculum tuum. In Natale Domini tibi exopto optima quaeque!

Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedou s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedou s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-	TESTAMENTUM	Henricus van den	-----	2004	CD-	7 pp.	€ 17,50

		09-8		Lande de Raelt			ROM pdf		
			REYNERI BERLBYN						
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

			Libri audibiles						
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,

USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEPTIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Veneris
17. m.Dec. a.2021**



Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae